



**MYSTERIUM SS. TRINITATIS CENTRUM**

illud est, ad quod omnes fidei, doctrinaeque; Salutaris lineae tendunt, & quod aut ignorato, aut plane negato fides salvifica nequitquam potest subsistere, aut Pietas vera & antiqua salva esse. Docuit hoc Ipse Deus, qui ideò populum Israeliticum illud praeter ceteris omnibus nosse & credere voluit, quod DEUS non solum UNUS Essentiâ, sed & TRINUS in Personis sit, cum singulari Emphasi locutus: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Jehovah unus est*, Deut. VI, 4. Ubi *Unitas* quidem ab omnibus, etiam simplicissimis, hominibus facile intelligitur; Trinitas verò non adeò difficulter ex iisdem verbis demonstratur. Continetur enim in iisdem primò Jehovah Pater, secundò Ælohim Filius, & tertio Jehovah Spiritus Sanctus, de quibus conjunctim sumtis perspicue dicitur, quod sint *unus*. Et tres illas Personas ibidem denotari, ipse Textus satis clare indicat, dum primò dicitur *Jehovah*, secundò *Ælohim* & deniq; tertio Jehovah à prioribus distinctus, id quod jam dudum eruditiores pie observarunt. Neq; desunt aut in Veteri, aut in Novo Testamento, alia egregia Testimonia idem Mysterium perspicue probantia, quod & aliò tempore prolixius demonstrari potest, & jam dudum ab Antecessoribus saepius contra Varios Veritatis hujus hostes, est evictum. Quis enim ignorat, quanto studio eandem o-